

DISSERTATIO ACADEMICA;
CAUSSAS LITTERARUM
RESTAURATIONEM POST
MEDII ÆVI BARBARIEM
PROMOVENTES,

SISTENS;

CUJUS PARTEM PRIMAM,
CONSENS. AMPL. ORD. PHILOS. ABOËNS.

PUBLICO EXAMINI SUBJICIUNT

JOHANNES HENR. FATTENBORG,
LITTERAT. ORIENT. DOCENS,

ET

ERICUS JOHANNES SNELLMAN,
OSTROBOTNIENSIS,

In Auditorio Majori die X Junii MDCCCLX
horis p. m. solitis.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

KONUNGENS
TROTJENARE, KONGL. RÅNTMÄSTAREN,
HÖGÅDLE
HERR GUSTAV BERGBOM,
MIN VÖRDADE MORBROR!

Beröfvad en älskad Far, af hvilken jag ännu länge hoppades erhålla både flöd och upmuntran, fruktade jag mig vara aldeles öfvergisven; men Försynen vill, att jag skall gjuta andra tårar, än forgens och bekymrets. När en Fader faller undan och lämnar vårnösa barn åt en osäker framtid och en oviss lycka, stiger ofta, på den högre Fadrens anstalt, en annan fram, att i den bortigångnes ställe, värda den öfvergisne. Så ser och jag min Herr MORBRORS armar öppnade, och mitt hjerta känner lifligt den tröst, som mig derigenom tillbjudes. Mätte jag få visst förmå svara emot min vördrade MORBRORS önskan och hopp, samt kunna glädja en så ädelmodig välgörares hjerta, som jag är öfvertygad, att det ömmar för mitt väl! En Yngling som aldrig förr kändt sig olycklig, kan icke vara kall i sin tacksamhet emot den, som första gången tröstade honom; och den suck, med hvilken han nedkallar välgörelse öfver sin välgörare, är lika varm som upriktig.

Med upphörlig vördnad och tacksamhet har åran att framlefa

MIN VÖRDADE MORBRORS:

Ölmjuka & tjenare
ERIC JOHAN SNELLMAN,



Felix qui rerum potuit cognoscere causas.

VIRG.

§. I.

Sensim, per multas ambages ac vicisitudines ad summum illum culturæ gradum, in quo nunc conspiuntur, scientiæ artesque liberales pervenerunt, atque relictis primigeniis suis domiciliis, Chaldæorum & Ægyptiorum adytis egressæ, in Græcia migrarunt, unde felicissime exultæ, auctæ & amplificatæ primum ad Romanos transferunt, & deinde per varia fata totum fere terrarum orbem pedetentim perreptarunt. Ut autem omnia humana fluxa sunt & mutationibus subiecta, sic etjam bonarum artium & disciplinarum ratio eidem necessitatì paruit. Nam cultum illum ac florentem statum ad quem divina Græcorum ingenia, eorumque felices imitatores Romani artes scientiasque evexerant, longum insecutum est seculum adeo rude & stupidum, ut vix credibile sit tanta ignorantia turpitudine obrui potuisse ingenium humanum, litteris jam subactum ac politum, quantam tamen diu invaluisse historia medii ævi satis superque docet. Romano scilicet imperio funditus everso & a barbaris ac prope feris gentibus occupato, Græco intestinis discordiis dilacerato nec non hostium incurSIONIBUS plus semel valetato, totoque orbe Christiano superstitionis preligiis oppresso, litteræ artesque liberales oblivioni date, per longum temporis spatium, incultæ jacebant ac dereli-

A

reli-

relietæ. Fœda tunc sicut orbis litterarii imprimis in Occidente facies. Gravis torpor ingenio humano obrepit ejusque acumen hebetavit: error atque ignorantia ubique imperium tenuit: rari fuerunt viri aliqua eruditionis fama clari: rarissimi qui suarum virium facientes periculum atquid boni lectuque dignum quicquam præstare valuerunt: egregia veterum auctorum scripta partim penitus deperdita, partim seposita & oblizioni data, a paucis lecta & a paucioribus intellecta: scholæ, bibliothecæ & alia instituta litteraria aut nulla aut certe admodum pauca *a*): omnis libertas cogitandi & scribendi erectoribus ingenii ademta & cæca credulitas omnibus injuncta: fabellæ aniles quamvis & absurdæ, omnium tamen mentibus ut veritates fide dignissimæ alte intixæ: plures artes scientiæque plane ignotæ *b*), omnes autem ineptius tractatæ: religionis morumque doctrina imprimis corrupta & ad Papalem dominationem augendam ac confirmandam quoctunque modo perverfa ac deformata: Mathematicis artibus magiæ macula adspersa *c*), nec multo mitior plurium aliarum scientiarum fortuna:

- a)* Privati homines sæpisime nullum, raro autem unum aut alterum librum possidebant & plura etiam monasteria unum tantum Missale. SERVATUS LUPUS, Abbas Ferrierensis, multis precibus in epistola quadam A. D. 885, Papam Romanum obsecrat, ut ei Ciceronis de Oratore & Quintiliani de Instit. Orat. libros mitteret, quoniam integra corum exemplaria in tota Gallia id temporis invenire non licuit. Adeo rari erant libri, & chartæ linteæ faciundæ arte nondum reperta cari, ut qui vel unum librum templo euidam aut monasterio dono dedicet illum *pro remedio animæ sua* obtulisse diceretur. Cf. MURATORI Antiquit. T. V. p. 789. WILL. ROBERTSON's History of the Reign of the Emperor Charles V. Vol. I. p. 281.
- b)* Il se trouve ici un long intervalle de temps, près d'un siècle & demi, où malgré mes recherches je n'ai pu rencontrer un seul Mathematicien, dicit M. MONTUCLA Hist. des Mathématiques T. I. p. 416, de tempore Caroli Magni proxime insequente loquens.
- c)* Cf. MONTUCLA l. c. & JAC. BRUCKERI Instit. Hist. Philos. p. 470.

tuna: viri summis honoribus decorati, ad rerum publicarum gubernacula sedentes omnium litterarum & bonarum artium fere Iupra fidem rudes d): ab omnium ordinum hominibus neglegētæ ac repudiatae ad monasteria velut in exsiliū mislæ con-fugerunt Musæ, ut ibi exitiali ruinæ ereptæ letiora rursus prodeundi tempora expectarent e). Nova per hoc temporis intervallum in Asia apparuit lux. Europa enim exsulanter Musæ ad pristinam patriam se receperunt, ubi ab Arabibus benigniter exceptæ ac fotæ, eorumque opera ac studio per plures terræ partes diffusæ, lrete florerunt, donec procedente tempore regresiæ apud nos reviviscere & rursus commorari cœperunt. Cujus felicis eventus catusas rationesque hac Dissertatione summatim exposituri, quantumque patientur ingenii vires explicaturi, nonnulla paullo altius repetita præmittenda duximus, quæ ad pleniorem totius rei intelligentiam aliquid facere nobis viderentur.

A 2

§. II

d) Carolus & Alfredus Magnus, litteris postea probe tincti scribendi artem usque ad virilem fere ætatem, non callebant. Cfr. E. GINHARDI vita Caroli M. & BRUCKERI Instit. Hist. Philos. p. 483. Plura adhuc extant diplomata & acta publica, quibus reges ac civitatum principes, cum nomina sua illis adscribere nescirent, signum crucis manu propria pro ignorantia litterarum, adfixerunt. Cfr. DU CANGE voc. Crux, T. III. p. 1191.

e) Quicquid de litteris reliqui fuit id totum Clerici sibi vindicarunt. At multi etiam eorum haud raro ita erant rudes, ut Breviaria latina quæ quotidie ecclesiæ prælegerent, non intelligerent, & interdum elementorum inscriti recte ad litteram illa recitare nescirent. Muti Episcopi & honoratores ecclesiarum antiflites, conciliorum decretis, quibus hæreticos condemnaverant, scribendi arte defituti, nomina appingere nequiverunt; (Nouv. Traité Diplom. T. II. p. 424. apud ROBERTSON, Vol. I. p. 281.) & in Synodo Remensi A. D. 992, deplorarunt patres ipsi, Romæ non esse qui litteras didicerit. Cfr. BRUCKERI Instit. Hist. Philos. p. 487.

Primum igitur silentio prætereundum non est, plures extitisse viros cordatos, multiplici doctrina pro temporum ratione conspicuos, Mæcenatesque illustres nec non purpuratos, qui cunctis ad barbariem vergentibus, invalecenti sui seculi inscitiae resistere & veteres artes revocare enixissime conati sunt. Talia consilia jam iniit THEODORICUS, fortissimus Ostrogothorum Rex isque prudentissimus, BoëTHII imprimis ac CASSIODORI doctrina ac studio adjutus. In omnibus autem vel maxime eminet Franco-Gallorum Rex CAROLUS MAGNUS, cui inter ceteras laudes hic honos etiam debetur, quod sua benignitate, admonitione, exemplo & institutis denias ignorantiae tenebras dispellere, vitamque emortuis fere litteris reddere studiosissime admiteretur. ALCUINI enim institutione ipse litteris imbutus, ejus doctrina opera atque consiliis ad illas intra regni sui fines pronovendas prudenter usus est, omnemque lapidem movit, ut bonarum artium studium apud cives suos excitaret. Viros igitur doctos ad aulam suam invitatos honoribus præmiisque affecit, scholas instituit, Clericos studiis operam dare coegit, ipse libros quosdam conficiendos curavit, muneraque civitatis non nisi viris doctrina quadam ornatis detulit f). Idem studiorum tenor fuit ALEREDO MAGNO, Anglie regi, qui & ipse Musas amavit & coluit, variisque institutis, imprimis autem Schola Oxoniensi condita, ut honos eruditioni in regno suo haberetur, effecit. Jam ante illum BEDA, cui cognomen additum *Venerabilis*, operam haud sper-

f) Præter Alcuinum omnium sue ætatis longe doctissimum, Caroli Magni seculuri plures alii illustrarunt viri docti, ejus disciplinæ & benignitatis quasi alumni; inter quos nominasse juvat PETRUM PISANUM, ADELMUM, WARNEFRIDUM & EGINHARDUM inclytum vitæ Caroli Magni scriptorem. Cfr. JOH. ALBERT. FABRICI. Biblioth. Lat. mediaæ & infimæ ætatis. T. I. p. 33. V. p. 620. II. p. 254.

ſtērēndam ad litteras in Anglia restituendas contulerat; neque non postea JOH. SCOTUS ERIGENA, eruditioñis fama ſuo tempore celeberrimus, ibidem & in Gallia: RABANUS MAURUS, HAYMO & OTFRIDUS in Germania: SERVATUS LUPUS & HINCMARUS in Gallia, aliique alibi indefefam operam in rebus cognitione dignis poſuerunt g). Licet autem ſtudia eorum magnopere laudanda ſint, nec plane infructuofa fuerint, tantum tamen haudquaquam valebant, ut minantem litterarum ruinam inhiberent. Cunctis enim in Gallia, Germania & Anglia, poſt Carolum Magnum & Alfredum in cœlum ſublatos, civilium discordiarum tumultu & bellorum extenorū ſtrepi- tu turbatis, prior ignorantie ſeditas non ſolum increſcere, verum etiam immenſum in modum invaleſcere occepit. Fuit eerte feculum X:um adeo rude & stupidum, ut merito plumbēum dictum fit; licetque ejus barbariem clarissimi initia ſideris illuſtraverit GERBERTUS, ut Papa Romanus nomine Syl- vestri III nobilis notusque, vir cum mukarum ſcientiarum tum imprimis Mathematicæ & Physices omnium ſui temporis lon- ge peritisimus, dencas tamen ignorantie tenebras ejus inge- nii lumen haudquaquam pellere, ac ne imminuere quidem va- luit h). Doctrinæ quidem ubertate illo erant multo inferio-

A 5

res

g) Cfr. de his omnibus JOH. ALB. FAERICH Biblioth. Est. T. III. c. 15. Ejusd. Bibl. med. & inf. atat. T. I. p. 993. 936. 133. 494. IV. 397. VI. 68. III. 543. V. 535. IV. 871. III. 791. C. J. BOU- GINÉ Handbuch der allgemeinen Litterargeschichte. I. B. p. 406 - 436. Prodierunt etiam ex Hibernia usque a ſeculo VIII:o plures pro temporum barbara conditione vii docti, imprimisque Religio- nis doctores, quorum ſtudiis Germania pars, nec non Svecia, Da- nia & Norwegia ad fidem Christianam apprehendendam adduſte fuerint. Neque non haec regiones transmarimæ aliqua humanitatis ſtudio tinctæ erant. In Islandia enim perfonuit Muſarum con- centus, neque historiæ ſtudium, quamquam fabulis involutum, pro- fokus incultum ibi jacebat.

h) Quam parum utilitatis parcis fuorum æqualium litteralis afferre

res æquales ejus LUITPRANDUS, Episcopus Cremonensis, ROSWITHA, illustris virgo sanctimonialis in cœnobio Gandersheimensi, FULBERTUS, Episcopus Carnotensis, & qui seculo sequenti vixit BERENGARIUS, Turonensis, placitis suis de sacra coena celebris; sed qui ætate hac inficeta nominentur haud tamen indigni *i).* Parum etjam litteris profuit spinosa illa *Philosophia* sic dicta *Scholastica*, quæ LANFRANCO & ANSELMO, imprimis autem ABÆLARDO & PETRO LOMBARDO præeuntibus, totum orbem litterariorum, potissimum tamen Occidentalem, inundavit omninoque oppresit. Futilibus enim quæfionibus de rebus aut nullius aut minoris momenti & inextricabilibus disputationibus viros doctos ita irretivit ac implicuit ista jejuna & pugnax philosophandi ratio, ut illis omnem additum ad puriorem ac saniorem doctrinam per plura secula præcluderet *k).* Incrementis quidem hujus Philosophiae resistere præ ceteris conatus est BERNARDUS, Clarevallenlis; adversarius Abælardi vehementissimus; sed & ille multis magnisque nœvis adspersus fuit; & JOHANNES SARISBERIENSIS,

vir

posset, vel ex illa ignominia, quæ nomini illius post mortem parabatur colligere licet. Libris enim quibusdam Mathematicis in bibliotheca ejus repertis, auxilium magiarum crimine tam graviter notatus fuit, ut in dubium vocare auderent Cardinales, utrum justa presuli totius ecclesiæ Christianæ persolvere deberent. Cfr. Philosophical Inquiries by JAMES HARRIS p. 395. seqq. JAC. BRUCKERI Instit. Hist. Philos. p. 488. JOH. ALB. FABRICII Biblioth. Lat. med. & inf. ætat. T. III. p. 127.

i) Cfr. FABRICII Bibl. Lat. med. & inf. ætat. IV. 859. III. 829. II. 639. I. 570. C. J. BOUVERÈ Handbuch, I. B. p. 440 - 446.

k) Tales erant acerrime ille lites inter *Nominales* & *Reales*, quæ in duas factiones viros doctos distracterunt, tantoque odio & ira illos inflamarunt, ut non solum maledictis sed etiam plagiis se invicem peterent, fauciarent & nonnunquam occiderent. Cfr. JAC. BRUCKERI Instit. Hist. Philos. p. 530.

vir linguae Latinæ, Grecæ & Hebraicæ, Philosophiæ & Matheſeos probe gnarus, morumque caſtigator acerrimus, nullus imitatores ſua ætate natus eſt /).

Sed in Græcia paulo tamen feliciora ſata ſub idem tem-
pus Muſis obtigerant. Quamvis enim Saracenorum aliarum-
que gentium barbararum vaſtationes, nec non intefinæ diſ-
cordiæ, ac tumultuofæ de imaginum cultu lites, incrementis
litterarum valde exitioſæ fuſſent, ſemper tamen Muſis, in
hac antiqua earum ſede, plus quam in Occidente honoris ha-
bitum fuit. Neque in terra, veterum monumentis tum arti-
um tum ſcientiarum referta, facile fieri potuit, ut manente a-
liqua faltem reipublicæ umbra, omnis doctriñæ laus penitus
interiret. Producit igitur hæc terra, ingeniorum egregiorum
quondam feracifinia, etiam ſub hac tenebricofa nocte, plures
Theologos, Philoſophos, Medicos, Historicos, Mathemati-
cos, Poëtas & Polyhistores, Mæcenatesque purpuratos; qui
quamvis ſtili elegantia, orationis ſvavitatem, ingenii acumine
animique liberalitate haudquaquam cum Platone, Aristotele,
Demothene, Xenophonte, Hippocrate, Pericle & Ptolemæis
comparandi ſint, multum tamen laudis pro multipli doctriña
diligentique litterarum studio merentur. Quis enim negabit
JOHANNEM PHILOPONUM & DAMASCENUM, DAMASCJUM, SIM-
PLICIUM, PHOTIUM, non ſolum Græciæ verum totius orbis ter-
rarum ſuo tempore facile doctissimum, PSELLUM ſeniorem,
LEONEM, singularis eruditioñis cauſa *Philoſophum* dictum, &
MICHAËLEM PSELLUM, Photio non multo inferiorum, ALEXAN-
DRUM TRALLIANUM, PALLADIUM, PAULLUM ÆGINETAM & SI-
MONEM SETHUM, PROCOPIUM, HESYCHIUM MILESIUM, ZONA-
RAM & NICEPHORUM BRYENNIIUM, PROCLUM & HERONEM, JO-
HAN-

1) Cfr. FABRICI Bibl. Lat. med. & inf. ætat. T. I. 598. IV. 380.
BRUCKERI Inſtit. Hist. Philos. p. 506.

NEM STOBÆUM, SVIDAM, TZETZEM & EUSTATHIUM, COIN-
THUM & AN. COMNENAM; interque Cæsares BASILIUM, LEO-
NEM VI sapientem ac CONSTANTINUM PORPHYROGENNETAM ^{m)},
quis, inquam, negabit litterarum florem illorum opera ac stu-
dia non omnino emarcuisse, donec tandem Musarum Græca-
rum postremis necesse fuit armis Turcarum horrendis cedere
& antiquam patriam relinquere?

§. III.

Hi fere fuerunt præcipui ad finem circiter seculi XII:mi-
tam Latinorum quam Græcorum viri docti, gradum Musarum
fugientium fistere veteresque artes revocare studentes: laudan-
di certe propter conatus suos præclaros, sed tanto tamque
arduo operi perficiendo handquaquam pares. Licet enim u-
nus eorum aut alter, doctrina solito uberiori ingenioque a-
criori præditus, inguentibus ignorantiae tenebris animosius se
objecerit, imbecilliores ejus tamen erant vires, quam ut ma-
lo, quod altissimas radices egerat, medelam afferre valeret.
Crevit igitur ignorantia, illis frustra refragantibus, invaluit
error, jacuit ingenium humanum dura superstitionis servitute
oppressum & si quando virtus quedam illustrior, commune
temporis vitium supergresfa, ad veritatem proprius penetrare
auderet, ut Religionis & civitatis hostis morumque corruptrix
calumniis & infamia adspersa, gravissimis haud raro afficie-
batur suppliciis.

Quum autem, teste historia, ea fere semper humanæ
mentis ac conditionis ratio fuerit, ut cum ad id quod in re-
bus

^{m)} Cfr. de his omnibus THEOPH. CHRISTOPH. HARLIS introductio in
Historiam Lingue Græcae. JOH. A. FABRICII Biblioth. Greca. KURT.
SPRENGEL Geschichte der Arzneykunst, I Th. M. MONTUCLA Hist.
des Mathematiques, Vol I. JAC. BRUCKERI Instit. Hist. Phil. ALB.
HALLESI Biblioth. Medicinæ practicæ, Vol. II. p. 303. seqq.

bus contrariis summum sit pervenerint mortales, sive altissimum fastigium pro re nata attigerint, sive a dignitate sua ad infimum gradum declinaverint, rursis aut retrogradi & in pejus ruere, aut progredi & altiora spirare incipient; sic etiam seculo XII:o ad finem vergente factum est, ex quo tempore tardum & longa inertia hebetatum ingenium humanum sensim resurgere, fœdam ignorantiam excutere, dirum superstitionis imperium supplantare, juraque sua deperdita reposcisse apprehenditur.

Sed antea tamen, quam ad illas res explicandas, quæ ansam felici huic ac salutari morum studiorumque commutationi dederunt, animosque hominum præsertim in Occidente lethargico torpore affectos excitarunt, proprius accedamus, nonnulla de *Arabum* disciplinis dicenda sunt; qui, cum omnia, ut jam dictum est, apud nos horrida & inculta essent, bonis artibus ac litteris toti se tradidissent, easque summo cum studio & alacritate excoluisserunt. Quamquam Muhammedes ipse proximique ejus successores alieniorem a litteris animum habuisserunt, sequentes tamen Caliphæ, ex Abbasidarum præsertim familia, tota mente omnique animi impetu in id incubuerunt, ut eorum, quæ ad pacis artes litterarumque honorem pertinenter, amorem studiumque animis civium suorum instillarent. Ferum vietorem iterum Graecia capta vicit. Quum enim bellis continuis, plurimis præsertim Græci imperii provinciis, ubi artes scientiaeque partim adhuc isto tempore quadamtenus florebant, partim vestigia veteris artis expresa exstabant, occupatis, proprius commercium arctiorque vitæ conjunctio Arabibus cum Græcis esse cœpisset, Musarum Græcarum favitate capti & delectati Arabes, consuetudines & amicitias cum illis jungere incipiebant n). Imprimis autem aurora eruditio-

B

nis

n) Jam ante Muhammedis & Al. Mansoris tempora Græcique impe-

nis illucescere coepit AL-MANSORE thronum Muhammedis tene
nente, qui & ipse animum ad bonas artes cognoscendas ap
plicavit; opusque ab illo inchoatum & a nepote ejus AL-RAS
CHIDIO, optimo principe, prudenter continuatum, AL-MA
MONIS sapientia ac liberalitate ita promotum fuit ac perse
stum, ut litterarum studiis nihil antiquius nihil honorificen
tius judicarent Islamitae. Neque in id solum erant intenti
Principes modo nominati, ut studium & amorem litterarum
excitarent, sed etiam ut illum apud cives suos propagarent
perpetuumque ficerent; quare etiam multas res huic fini at
tingendo aptas prudenter instituerunt. Scholas scilicet lycea
que condi, Græcorum libros in linguam Arabicam transferri,
bibliothecas in publicum usum comparari curarunt o), viros
doctos ad se invitarunt magnisque stipendiis aluerunt; quibus
rebus factum est, ut tantus ardor amore studiorum exortus
fit,

rii provincias occupatas aliquid Græcarum litterarum ad Arabes
penetraverat. Alexandriæ, sedis litterarum florentissimæ, vicinia
nonnihil lucis dispergere potuerat; nec non injustæ ac duræ con
tra Nestorianos aliosque sic dictos haereticos persecutio[n]es magnum
vitorum doctorum numerum e Græcia expulsum in Persiam, Syriam
& Arabiam migrare coegerant. Tale quid imperatore Zenone ac
cedit scholæ Edesana doctoribus ad Cosroën, Persiæ regem, con
fugientibus; & Justiniani rapacitas philosophis Atheniensibus ilipen
dia subtrahens, Damascum, Isidorum, Herniam pluresque alios
sapientiam ac medicinæ doctores e regno Byzantino ejecit. Dschon
disabur, urbs ad fines Arabicæ sita, seculo jam VI:o schola sua ce
lebris fuit, ubi Græci artem medendi docebant. Cfr. ZONARAS L.
XIV. c. 6. p. 63. AGATHIAS L. II. p. 69. apud SPRENGEL Ge
schichte der Arzneykunst, Vol. II. p. 255.

o) Bagdadi, ubi sedem imperii & litterarum fixit Al-Manfor, talia
jam inchoavit instituta, a successoribus suis adeo diligenter conti
nuata, ut mox Syria, Persia, Ægyptus & Libya ora scholis ac bi
bliothecis abundaret. Cfr. ELMACINI Hist. sacra L. II. c. 4. p. 122
seqq. BENJAMIN FUDELA p. 121. 122. ABULEEDA Vol. III. p. 116,
apud SPRENGEL I. c.

st, ut ne Græci quidem, ejus scilicet temporis, diligentia veterum scripta revolvendi & industria litterarum progressus promovendi cum illis comparandi sint. Neque domesticarum parietum angustiis sua studia clausa tenebant Arabes; sed ubique terrarum cunque imperii sui fines propagarunt, ibi etiam asylum praesidiisque tutum Musis praesuerunt; atque ita factum est, ut etiam Mauri Hispaniensis eruditionis fama valde florarent, ex quibus imprimis multum lucis, ut mox videbimus, orbi nostro affulit *p).* Atque his fundamentis ad litterarum incrementa promovenda jaētis fieri non potuit, quin plura & magna exsurgerent ingenia, quae plures scientias ex obscuritate revocatas feliciter excolerent. Cum autem totum fere litterarum campum percurrere studebant Arabes, imprimis tamen Medicinam, Astronomiam & cum illa conjunctas artes Mathematicas, nec non Aristotelicam philosophandi rationem amasse ac coluisse reperiuntur *q);* quamquam quidem

B 2

Hi-

- p)* Vix ullis aliis terris plus quam in Hispania floruerunt Arabum litteræ, ubi schola Cordubensis omnium fuit celeberrima. Illam instituerat Al-Hakem sub finem seculi XI*i*, atque ejus jam tempore bibliotheca ibi exstabat bis centum & quinquaginta voluminum comprehendens; & seculo XII*o* jam centum & quinquaginta auctores produxerat. Cfr. CASIRI Vol. II. p. 71. 202. apud SPRENGEL l. c.
- q)* In istis scientiis maxima ac splendidissima eorum ingenia vires suas exercuisse constat. Quis enim ignorat quanti nominis célébritate in Medicina fuerint AL-KENDI, AL-RAZI vel RAZRS, Arabum Galenus dictus, EBN-SINA vulgo AVICENNA, AVENZOAR & AVERROËS; in Astronomia & Matheſi ALFRAGANUS, MUHAMMED EBN MUSSA, TEBIT, ALBATEGNIUS, ALSEPHADE & ULUGH BEIGH, & in Philosophia præter nominatos medicos, AL-ESCIARI, AL-FARABI, AVERPACE & TOPHAIL pluresque alii quorum operum immensus manus scriptorum numerus in bibliothecis servatur? Neque prætermitendi sunt JOHANNES FILIUS MESUE senior, & HONAINUS filius Isaaci, ambo Syri & Christiani, tum medicinæ & philosophiæ probegnari, tum imprimis schola Bagdadi constituta, ex qua tot viri do-

Historiam, Geographiam *r*), Chemiam, Botanicen *s*), & Poësin *t*) neglexisse haudquaquam dicendi sunt.

Ex his igitur de Arabum doctrina bonarumque artium studio breviter allatis, si cum parca ac inculta Occidentalium imprimis disciplina comparatur, facili negotio patet, illos in litteris palmam his longe præripuisse. Neque non omni dubio caret multum adjumenti auxiliisque ad litteras in Occidente restituendas ex hoc fonte emanasse: quod argumentis quibusdam illustrare ac probare conabimur. Licet enim capitali odio inter se dislident Christiani & Muhammedani, tanta tamen cupiditas meliora discendi quosdam erectiori ingenio præditos incesit, ut mala præjudicata opinione abjecta Arabum bonarum artium mercaturas, præfertim Hispanenses, adirent, atque variis doctrinæ thesauris pro temporum ratione aucti ac ornati domum redirent. Sic GERBERTUS, schola Cor-
duben-

Ei prodierunt, & magno librorum de Græco in Arabicum versorum numero clari. Cfr. de his omnibus KURT SPRENGEL Geschicht. der Arzneyk. II. Th. p. 261. seqq. ALB. HALLER Biblioth. Medicinæ pract. Vol. I. p. 333. seqq. M. MONTUCLA Hist. Mathefeos T. I. p. 337 seqq. J. C. HEILBRONNER Hist. Mathes. p. 426. LEO AFRICANUS in libro de viris illustribus apud Arabes qui exflat apud J. A. FABRICIUM in Biblioth. Græca Vol. XIII. p. 259. JAC. BRUCERI Institt. Philos. p. 429. seqq.

- r)* Digni sunt qui in hac re nominentur BOHADDIN, ABUL FARAGIUS, ELMACINUS & ABULEEDA, quorum opera ad res Arabum gestas locorumque situs cognoscendos perutilia sunt.
- s)* Cfr. ALB. HALLER Biblioth. Botanica, T. I. p. 171. seqq. Disput. Petr. Afzelii præf. TORB. BERGMAN de Chemiæ progressibus, Ups. 1782. P. I.
- t)* Ut Poësis ab antiquis temporibus in deliciis Arabibus fuerat, sic etiam illa post inchoatum aliarum scientiarum studium haud defecit. Cfr. LUIS JOS. VELASQUEZ Spanische Dichtkunst, Übers. von JOH. AND. DIEZE, p. 83.

dubensī principiis Philosophiæ, Mathematicæ & Physices hauftis, redux miraculo fuit, omnesque in Gallia, Italia & Germania doctrinæ ubertate longe anteivit. Hujus exemplum multi deinde imitati sunt, ut ADELARDUS Anglus, GERARDUS Cremonensis, DANIEL MORLEY Anglus, & LEONARDUS Pisanus pluresque alii, quos omnes reconsere lupervacaneum foret u). Ut autem Medicinæ studium apud Arabes valde floruit, sic etiam illud iis auctoribus apud nos multum adjutum fuit. CONSTANTINUS AFER sanandi arte clarus, Bagdadi litteras didicit illasque in Italiam detulit, ubi deinde scholæ Salernitanæ medicæ, omnium mediæ ætatis in hac arte florentissimæ, sua eruditio-ne profuit. Atque ut facilius intelligatur, quanti Arabum ars medendi hac ætate æstimata fuerit, id unum monuisse ju-vat, Imperatorem Fredericum II. um, singularem Musarum fau-torem, publice indixisse, Medicinæ candidatum, quum ad examen admitteretur primum Avicennæ librum debere explicare v). Qualis medicinæ, talis etiam artium Mathematicarum fuit ratio, in quibus nostri ad tempus ultra Arabes nihil fere sapuerunt. Nec non concedendum est, si quid boni in litteris præliterint Arabes, id potissimum in Mathesi factum esse. In id plures consentiunt, Algebraam ex eorum iudis ad nos pervenisse x), atque sic etiam Astrono-

- u) Qui hos nosse cupit, adeat M. MONTUCLA Hist. des Mathem. JOH. FRED. WEIDLERI Hist. Astronomie. GEORG CHRISTOPH. HAMBERGER Nachrichten von den vorn. Schriftstellern. J. A. FABRICII Biblioth. Lat. mediæ & infirmæ ætatis. KURT. SPRENGEL Geschichte der Arzneyk. II Th. p. 429.
- v) Cfr. G. C. HAMBERGER Nachricht. von den vorn. Schriftstell. III. Th. p. 793. J. A. FABRICII Biblioth. Græca, Vol. XIII. p. 123. SPRENGEL Geschichte der Arzneyk. II. Th. p. 401, 408.
- x) Illam enim artem LEONARDUS PISANUS, qui & itinera in Oriente instituerat ad Scholas nostras transmitit; atque ejus doctrina adiutus LUCAS DE BURGO, libro qui inscribitur, Summa de Arithmetica

mia y), & Trigonometria plana z) multum eorum inventis debat, & compendiosam numeros Cifris scribendi rationem illis etiam acceptam tenemus a). Idem etiam valet de Chemiae studio, in quo excolendo jam GEBERUS, pluresque alii post illum Arabes nominis celebritatem assecuti sunt, cujusque artis principia ARNALDUS VILLANOVARUS in Hispania hauisit b). Quum autem id semper inconcussum maneat, clarissimos omnium fere scientiarum rivulos ex uberrimis Græcorum fontibus esse derivandos, etiam ea ratione multum Arabibus debemus, quod cum præclara Græcorum monumenta inficto, de quo loquimur, seculo ad maximam partem ignota essent, permultis eorum nos ditaverint Arabes c). Et quamquam do-

len-

& Geometria, eam fusius explicavit. Cfr. M. MONTUCLA Hist. des Mathem. Vol. I. 441. 446. J. C. HEILBRONNER, Hist. Mathefœos p. 497. 781.

- y) Plura exempla satis superque docent Nostrates media ætate Astronomie principia apud Arabes didicisse; sufficit tamen heic tantum monuisse *Tabulas Alphonsinas* Judæorum Arabumque opera fuisse confeccas & ROG. BACONEM, præclarissimum sui seculi decus, horum scriptis legendis in Astronomia profecisse. Cfr. M. MONTUCLA Hist. des Mathem. Vol. I. p. 421. 423.
- z) Cfr. M. MONTUCLA, Vol. I. p. 358.
- a) Cfr. M. MONTUCLA, Vol. I. p. 361.
- b) Cfr. G. C. HAMBERGER, IV Th. p. 490. Disput. Petr. Afzel. præf. TORB. BERGMAN de progresibus Chemiae. P. I. Upl. 1782.
- c) Qui enim litteras querendi gratia ad Arabes se contulerant, linguam Arabicam edidit, non solum illorum opera, verum etiam Græcorum de Arabico vertebant. CONSTANTINUS AFER piures Arabum Auctores traustulit: ADELARDUS Eucliden: GERARDUS Cremensis nonnulla Avicenne, Ratis totumque Galenum latine reddiderunt: & Imperator FREDERICUS II:s Ptolemeum & nonnullos Aristotelis libros verti jussit. Cfr. J. A. FABRICI Biblioth. Gr. Vol. XIII, p. 123. Ejusdem Bibl. Lat. med. & inf. ætat. Vol. III. p.

Iendum sane est, neque ipsa exemplaria Græca, nec optima quæque monumenta litterarum hac via ad nos pervenisse, sed mancas tantum ac mutilatas versiones, ex versionibus Arabum forsitan incommodis compilatas, neque dissimulandum, eorum disciplinas multis nævis ac vitiis suis se confusas; haud quam tamen contendere licet, illas omni fructu ac utilitate caruisse. Nam melius utique est, aliquid boni, licet nugis commixti, quam prorsus nihil scire.

Per idem tempus etiam *Judei* sua studia excolere coepi-
runt. Quum enim illi gravissime a Christianis vexarentur,
qui in Europa habitabant ad Mauros in Hispaniam se receperunt,
ubi data pace tranquille fruentes animum ad litteras ap-
plicuere. Floruerunt igitur seculo XII:o ingenia eorum fere
celeberrima ABEN-ESRA, SAL. RASCHI I. JARCHI, MAIMONI-
DES, MOSES & DAVID KIMCHI ^{d)} pluresque alii, qui non so-
lum a suis assecris doctores ecclesiæ Judaicæ habentur facile
principes, sed e quorum institutione & scriptis etiam Christia-
ni lingue Hebraicæ notitiam primum hauserunt.

§. IV.

Inter illas disciplinas quas ad summum florem Græci &
Romani perduxerant, Jurisprudentiæ studium insitum locum
haud tenet. Ut ceteræ autem bone artes, sic etiam illud
barbaris gentibus omnia inendantibus occidit. Recepérant
quidem inculcæ illæ nationes multæ e legibus Romanis que
ad

^{a)} MONTUCLA Hist. des Mathem. Vol. I. p. 417. JAC. BRÜCKE-
RER Hist. Philos. p. 495. J. C. HEILBRONNER Hist. Mathes.
p. 479. SPRENGEL I. c. II. Th. 429.

^{b)} Cf. HAMBERGER IV. Th. p. 229. 267. 318. 366. BOUGINÉ Hand-
buch p. 473 - 476.

ad suas civitates melius constitutas ac regendas conducere videbantur. At illa cum antiquis suis moribus commixta ita coniunxerant, ut quid juri Romano, quid patriis institutis debetetur, dico scire postero die nequirent: ut taceam, id e multis locis ubi antea viguerat prorsus ejectum esse & expulsum, nec usquam ad Cathedras scholarum enarratum ac explicatum; quibus rebus efficitur, ut re ipsa desisse dici possit. Vulgo quidem ferunt exemplar quoddam Pandectarum Corporis Juris Justiniani, Amalphi urbe Neapolitana anno MCXXXVII a Pilanis expugnata, inventum, praecipuum fuisse incitamentum ad studium juris in Italia denuo restituendum. Quum autem tota illa narratio, utpote nullis idoneis suffulta argumentis, ad fabulas referenda sit, verisimillima videtur esse Job. Aug. Bachii sententia, qua studium juris Justiniane reductum, jureconsultorum ilium denuo docentium auctoritati & existimationi addicit e). Primus omnium FEPPO f) quidam dicitur jus Romanum Bononite docuisse; majori autem nominis celebritate ac eruditionis fama id paullo post factum fuit ab IRNERIO vel WERNERIO g), Germano, benignitate Mathildis, Marchionissae Tuscenis, Bononiam invitato, ubi cathedra Jurisprudentiae Romanæ constituta Pandectas multo cum applausu docuit, & animadversionibus, quæ hodie adhuc exstant, illustravit. Mirifice deinde hoc studio delectati sunt viri docti, & vix dici potest, utrum plura commoda orbi politico, an litterario attulerit. Primum enim renatcente hoc studio tota legislatio nationum Europæarum in dies emendata ac in melius mutata fuit. Jus enim Romanum partim ut subsidiarium recipiebant, partim veteres suos mores colligebant & vel-

ut

e) Cfr. JOH. AUG. BACHII Hist. jurispr. Romanæ. Edit. STOCKMAN. n. 1, p. 666.

f) Cfr. HAMBERGER, IV. Th. p. 110.

g) Cfr. Bach. p. 667. HAMBERGER I. c.